



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Barbaros nobis vitia nostra graues faciunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

in bellum obstinatis animis denegabant. Quæ tamen Canisius non dubitabat vel diuinitus af-futura, si religio custodiretur indemniss: contraq; <sup>Barbaros nobis vitia nostra graues faciunt.</sup>

nihil fauere validius causæ Turcarum, nec fortio-  
ra vlla eos habere arma, quam scelera Christiani  
populi, & religionis veræ contemptum. Si enim  
spirituales inimici donata nobis per Dei gratiam <sup>Serm. i. de Quadr.</sup>  
correctione vincantur, inquit S. Leo, & corpo-  
reorum nobis hostium fortitudo succumbet, &  
emendatione nostra infirmabuntur, quos graues  
nobis non ipsorum merita, sed nostra delicta fe-  
cerunt. Commentarium quoq; utilem Præsuli-  
bus Germanis ad emendationem Cleri confecit:  
vtebaturque diuina bonitas procuratoris sui pru-  
dentis, ac fidelis laboribus. Interim ab Argento-  
ratensibus Canonicis, & Episcopo vehementer,  
ad ipsum Ferdinandum precibus missis, postula-  
batur tum ad conciones, tum ad ordinandas Col-  
legij res, quod habebant in animo excitare. Qui-  
bus Rex hac respondit sententia. Si de Societate a-  
liquot ad Collegium confandum vellent, cura-  
turum se ut impetrarent: & Canisium, qui viam  
negotio sterneret, ad breue spatiū concessurū.  
De cetero cum Concionator ordinarius Viennæ,

Q & in

& in Academia Professore esset, & in præsensi vellet opera eius in Colloquio, quod instabat mitti nequaquam posse.

1557.

*Cogitur in-*  
*teresse Collo-*  
*quio: & est*  
*primus inter*  
*Theologos.*

Paulo post initium anni 1557. institutum Colloquium est. Duos Episcopos Catholicos, & quicunque Theologos Ferdinandus Rex nominauit: primusq; inter Theologos locus Canisio datus. Cipiebat ea via Rex sincerè edoceri, num qua dem posset controversorum dogmatum conciliatio ac consensio reperiri, salua Apostolicæ sedis Manifestate: vel certe, quo pacto aduersariorum fraudes dissolui, rationesque fallaces refutari possent. Cardinalis Augustanus, cuius obseruare nutuit Pontifex Canisium in omnes partes iusserrat, estimauit omnino subeundam illi eam prouinciam, ut opponeret se aduersariorum conatibus ideoq; à Pontifice petiit, cōfirmare vt eam lectio nem vellet, quando aliter ingruenti malo obseruiret. Canisius autem, quamvis minimè idoneum se profiteretur ad cetera; nec quicquam else tam graue, quod nō subire mallet, quam eiulmodi implicatissimas causas attingere, tamen in Christi nomine, & obedientiæ virtute spem, & fiduciam collocabat. Sic enim Iacobo Lainio, qui

*Obedientie  
confidit.*

Vica-